

non fuissent tunc intellecta a Petro: qui proinde terminum *conversus* accipere sponte debuit in eo altero sensu quem frequentem satis diximus: nulla est autem ratio cur credamus Christum protulisse verba quae in actu sermonis non intelligerentur, sed tantum postea, licet id identidem fieri posse non negemus: 2) quia mentio conversionis a lapsu dicenda esset eo spectare ut terminus a quo designaretur unde inciperet munus confirmandi fratres: atqui id admitti non posse videtur; nam munus confirmatoris incipere debuit postquam ipsi fuit actu impositum: porro id post resurrectionem factum est cum ipsi Primatus actu collatus est. Probabilius est ergo verba Christi hunc sensum fundere: *et tu vicissim*, sive *et tu benevolo animo confirma* fratres tuos. Ita certe accipit graecus homo Georgius Trapezuntius in epistola ad Cretenses de una sancta catholica et apostolica Ecclesia (penes Leonem Allatium Graeciae orthodoxae T. 1.) inquiens n. 7º. «'Ουτως ή μεν της Ρωμης ('Εκκλησια) πολλαχις ἐπιστραφεισα ἐστηριξε τας ἐτερας. Itaque illud ποτέ cum verbo quoque *confirma* componendum est. Quid ergo? an aliqua tantum vice confirmare debet Petrus fratres? Adverte vocem ποτέ non solum significare *interdum*, sed et non raro πλεοναζειν, vel indeterminatum tempus significare: ut legitimus sensus hic esse possit: *et tu vicissim* *confirma* fratres tuos. Quoties vero? Quoties opus fuerit. Hanc interpretationem postulari liquet ex sequenti animadversione. Nam voluntas iniqua Satanae impugnandi fratres, contra quam fides indefectibilis Petri constituitur, non ad unum certum tempus fuit limitata imo nunquam fuit desitura. Quod evidentius constabit si advertatur realis parallelismus inter Satanam expertentem exagitare Apostolos et portas inferi pugnaturas contra Ecclesiam. Quemadmodum vero istas notum est historice semper pugnare, et haec continua pugna verbis ipsis Christi adsignificatur, ita et ille conatus Satanae exagitandi Apostolos, non ad unam vel ad alteram vicem definitus repraesentatur a Christo, sed indefinitus vel continuus. Ergo talis est quoque confirmatio Petri ei opposita. Scilicet Christus non definit numerum, quoties nempe confirmare debeat Petrus fratres, sed indefinite loquitur, videlicet quotiescumque confirmatione opus erit. Quare officium hoc confirmandi fratres, quod fert secum *ius* collatum Petro confirmandi, et *debitum* aliorum se subiiciendi confirmatori Petro, infert *ius* habituale et stabile in Petro confirmandi fratres. Quocirca Petrus στηριγμα est permanens των ἀδελφων, seque ad ipsos habet ut basim, ut fulcrum, ut firmamentum eorum: principium scilicet eorum firmitatis et constantiae immotae.

Qua vero in re confirmare eos debet? Ipse est στηριγμα eorum ratione suae fidei indefectibilis; ergo terminus confirmationis

est certe saltem fides eorum; ad quam confirmandam proprie spectat fides confirmatoris. Confirmat ergo Petrus fratres in fide, quae basis est totius Christiani aedificii quod in quovis homine construitur, quae vinculum est primum quo homines Christo uniuntur, eiusque corpori incorporantur: Petrus nimurum infallibiliter docens est principium stabilitatis, et constantiae fratrum in fide. Nempe sicut Ecclesia dicitur 1. Tim. III, 15 στυλος και ἐδραιωμα της ἀληθειας, ita non dissimili appellatione Petrus dicitur στηριγμα fidei h. e. της αληθειας fratrum sive Ecclesiae, ita ut Ecclesia sit ἐδραιωμα veritatis quia στηριγματι Petro innititur. Quapropter manifestum est verba haec Christi respondere praecedentibus penes Matthaeum XVI seque ea invicem illustrare. Sane heic est *Satanas* impugnaturus Apostolos, ibi portae inferi Ecclesiam impugnaturae, ibi Petrus est πετρα Ecclesiae, heic Petrus ο στηριζων sive το στηριγμα fratrum, ibi portae inferi non praevalent contra Ecclesiam quia fundata est supra petram, heic fratres contra Satanae insidias et conatus efficiuntur tuli, quia confirmantur a Petro. Discrimen est tantum, quod ibi allegorica est locutio, heic propria, ibi universim Primatus Petri exhibetur, hic speciatim Primatus fidei seu in misterio fidei.

Itaque fides proprie dicta Petri ea est pro cuius indefectibilitate Christus oravit. Quoniam ergo oratio Christi effectu carere nequit, fides Petri nullum unquam defectum patietur, et posita hac Christi efficaci oratione eiusque promissione, fieri non potest ut fides Petri unquam deficiat qua confirmare fratres potest et debet; huc autem redit infallibilitas: ergo ea Petro promittitur a Christo. Est autem infallibilitas magistri; talis enim est qui alias confirmat. Liquet enim ex verbis Christi indeficientiam fidei Petri ordinari ut medium efficax ad obtinendam firmitatem fratrum contra impetus Satanae.

Coroll. I. Falluntur ergo ex Protestantibus ii qui confirmationem Petri in eo ponunt ut poenitentia acta peccati sui animum addiderit peccatoribus exemplo suo sperandi veniam a Deo; nam heic non est sermo speciatim de peccatoribus confirmandis, sed de fratribus; neque confirmatio talis est activa et efficiens, cuiusmodi significatur per verbum στηριζων; ac praeterea hic sermo est de confirmatione qua valeant fratres stabiles esse contra impetus Satanae non qua tantum valeant a vinculis Satanae se expedire. Abutitur autem Dr. Langen lectorum fide (l. c. pag. 70 seq.) cum eis subiicit quasdam morales Patrum enarrationes institutioni fidelium accomodatas, quae litteralem interpretationem nullatenus excludunt.

Coroll. II. Falluntur et ii qui putant officium confirmatoris Petri spectasse tantum ad tempus illud post resipiscentiam a lapsu,

cum resurrectionem Christi fratribus nuntiavit; qui proinde dixerunt: *Surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni.* Nam tunc munus confirmatoris sicut ei Pastoris adhuc Christus visibiliter agebat, et ipse reapse vere confirmavit omnes Apostolos et ceteros. Cf. dicta superius.

Inepti porro sunt qui aiunt promissionem fidei indefectibilis non esse propriam Petri, quia hic paulo post fidem amisit, negando Christum. Nam 1) promissio haec non spectat, ut diximus, ad tempus praesens: 2) nullibi scriptum est Petrum abiecssisse fidem: defecit quidem debita quaedam confessio; sed mansit in corde interior fides.

VII. Restat tamen quaestio quinam veniant nomine *Fratrum Petri: confirma Fratres tuos;* dubitatur enim utrum ipsi Apostoli comprehendantur, qui utpote et ipsi infallibles non videntur indiguisse confirmatore Petro. In primis certum est quod, etsi Apostoli propter quamdam extraordinariam praerogativam excipientur, ceteri tamen pastores, et fideles comprehenduntur, qui vero sensu fratres Petri fuerunt, sicut ab ipso in suis epistolis vocantur, quos pariter Satanus iam tunc cupiebat exagitare et perdere. At Apostolos quoque verbis Christi, imo eos primum habita ratione significationis verborum Christi, ac per eos etiam alios comprehendi, si leges hermeneuticae consultantur, certum esse debet: difficultas vero exinde orta, nimurum haud facile esse hoc componere cum alio doctrinae capite de infallibilitate singulorum Apostolorum, non est primo ratio sufficiens per se reiiciendae clarissimae interpretationis; tum deinde, quantum satis est, expedietur. Sane a) fratres Petri potissimum ii sunt, qui consortes eiusdem Apostolicae dignitatis in idem Collegium sunt cum ipso cooptati. b) Ex verbis Christi manifestum est eos esse confirmandos a Petro, quos Satanus expetivit ut cibraret sicut triticum; hi autem sunt illi quos Christus appellat *vos;* quibus periculum ex Satanae impugnatione imminere poterat: oravit autem pro fide Petri qua confirmarentur *fratres:* confirmandi ergo ii erant contra impetum Satanae, de quibus mentio facta est: iidem sunt igitur qui repräsentantur per terminum *vos* et per terminum *fratres:* atqui quibus dicitur *vos* sunt certe Apostoli praesentes Christo cum Petro: ergo.

Quomodo ergo confirmandi Apostoli? Advertendum 1) quod collato hoc loco cum praecedente Matthaei, patet eumdem esse qui est στηριγμα et πετρα; Petrum autem eam petram esse, supra quam ipsi Apostoli cum Ecclesia fundati sint, eamque proinde petram a qua Apostoli quoque cum Ecclesia firmitatem mutuentur, propter quam contra Ecclesiam ipsosque Apostolos non sunt pra-

valiturae portae inferi. Atqui nihil aliud dicitur penes Lucam, nisi quod hic speciatim de fide sermo est, de qua tamen generatim simul cum aliis sermo est penes Matthaeum: Petrus enim est Petra fidei, ut cum Patribus explicavimus. Advertendum 2) in Apostolis duplicis generis munus distinguendum esse, alterum ordinarium quod in suis successoribus episcopis perseverare debebat, alterum extraordinarium ad quod spectabat charisma infallibilitatis singulis datum, quod alterum munus cum ipsis Apostolis exspirare debebat. Advertendum 3) Christum quoties Apostolos aliqua praerogativa auget pro regimine Ecclesiae, eos semper in communi alloqui, excepto Petro, cui singulariter loquitur. Advertendum 4) ex omnibus Christi verbis ad Apostolos in communi factis non posse colligi praerogativas extraordinarias singulorum Apostolorum, sed praerogativas totius coetus et ordinarias singulorum sine quibus nec coetus ille ex ipsis existere potuisset. Imo 5) cum Christus in Apostolis Ecclesiam suam constitueret quae perennis esse debebat, et formam exhiberet potestatis quam in Ecclesia esse volebat, congruum fuit ut verbis a se factis ad Apostolos eam potestatem repraesentaret quae ordinaria in Ecclesia erat futura, easque proinde praerogativas exprimeret quae ordinariae essent non extraordinariae. Ex quibus colligimus, quod cum Christus heic Luc. XXII, 31 de Apostolis loquitur, eos considerat secundum praerogativas eorum ordinarias, quae episcopis quoque communes sunt. Quo posito patet eos indiguisse vere confirmatione Petri, non secus ac eorum successores. Licet vero Christus speciali quadam oeconomia, quae aliunde nobis constat, aliquid extraordinarium statuerit pro ipsis Apostolis, rectissime tamen heic ab ea praescindit; agebatur enim de praestituenda forma magisterii perpetuo futura in Ecclesia h. e. ordinaria habitudine quam ad Petrum fratres eius debuissent habere.

Coroll. I. Ergo finis orationis Christi fuit ex aequo bonum omnium Apostolorum, at obtinendum diverso modo: constantia nempe Petri contra impugnationem Satanae obtinenda per fidem indefectibilem eius a solo Deo immediate confirmatam: constantia ceterorum per fidem confirmatam quoque a Petro. Perperam proinde Dr. Langen provocat ad Patres docentes Christum heic pro fide Apostolorum orasse: quis enim hoc negat? sed quaestio est quomodo consuluerit eorum fidei firmitati.

Coroll. II. Ergo verba haec Christi dicta ad Petrum cohaerent cum praecedentibus ipsius Christi penes Lucam: nimurum designat Christus Apostolis quinam inter eos futurus sit maior, qua de re litigabant. Christus enim primum respondens ad omnes non negat futurum inter ipsos maiorem, quod Protestantes contendunt eo quod

Christus ait: *vos autem non sic*; licet enim haec forma loquendi identidem neget rem ipsam cuius prius facta est mentio, ut id Francisco Turretino (Loc. XVIII. q. 16) concedamus; heic tamen manifestum est modum quemdam rei tantum negari. Nam hac posita negatione adhuc supponit Christus esse aliquem inter Apostolos *maiorrem et ducem* (ο μείζων καὶ ο ἡγούμενος); illumque comparat sibi, sive illi se in exemplum proponit ut ita ille se gerat sicut ipse Christus, qui maior auctoritate certe erat, et se ut talem ibi exhibet et se gessit cum Apostolis. Idcirco affirmat in his verbis Christus futurum esse aliquem inter Apostolos qui ceteris praestet auctoritate, sit nempe ἡγούμενος. Quare verba Christi: *fiat sicut minor*, graece ως ο νεωτερος, sicut iunior, non eo spectant ut indicetur primatum tantum exstiratum inter eos alicuius honoris, *qui* seniori tribuendus esset; sed quoniam του νεωτερου proprium est subesse, obediens, ibi νεωτερος accipitur pro inferiore, minore: nec enim Christus se gessit simpliciter ut iunior, sed ut inferior, nempe *mistrando*. Itaque eo verba haec spectant ut modum doceant quo qui maior est gerere se debeat, quemadmodum scilicet se gessit Christus: *fiat, inquit, sicut minor, non, sit minor*: nec enim Christus fuit minor. Ita autem declarata inde maius inter Apostolos, pergit Christus ad Petrum, eique verbis explicatis primatum in magisterio fidei pollicetur. Hoc autem tantumdem est ac declarare quinam inter ipsos futurus sit maior, directe quidem quoad magisterium, indirecte quoad alia. Habent proinde Protestantes quod postulant (l. c.), declarasse scilicet Christum quinam futurus esset *maior*; quod fieri ab eo debuisse aiunt si non negavit simpliciter *aliquem* futurum esse maiorem.

Coroll. III. Ergo his verbi Christi continetur *specialis* praerogativa Petri: nam munus confirmatoris *specialis* est *excellencia* praeconfirmandis, *excellencia* magisterii, ideoque auctoritatis, *cui* alii subesse debent: haec autem *specialis* *excellencia* uni Petro *est* collata, ceteris ei ut confirmandis subiectis.

Interpretationem verborum Christi hactenus statutam *confirmat* Leo M. in Serm. IV. assumpt. sua. « Commune erat *omnibus* Apostolis periculum de tentatione formidinis, et divinae *protectionis* auxilio pariter indigebant, quoniam diabolus omnes *exagitare*, omnes cupiebat elidere: et tamen *specialis* a Domino Petri cura *suscipitur*, et pro fide Petri proprie supplicatur, tanquam aliorum *status* certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. In *Petro* ergo omnium fortitudo munitur, et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas, quae per Christum Petro tribuitur, per *Petrum* Apostolis ceteris conferatur. » Cui concinit Bernardus epist. ad *Innocentium*.

« Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quaeque et scandala regni Dei, ea praesertim, quae de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi fides non possit sentire defectum. Cui enim alteri sedi dictum est aliquando: Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua. » Cf. quae dabimus in Th. XXIV.

Interpretatio autem Augustini (De Correp. et Grat. n. 10) « quid enim ei (Petro) rogavit (Dominus) nisi perseverantiam (utique fidei) usque in finem? » attingit tantum primam partem testimonii: primatus vero Petri ex integra sententia Christi colligitur, qua *confirmatoris* munus confertur Petro. Ceterum non tantum perseverantiam usque in finem, quae cum lapsuum intermissione componi potest, sed perennem constantiam seu indefectibilitatem Christus promisit. Verum pleniorum commentario opus non erat Augustino tunc cum Pelagianis agenti. Quod vero asserit auctor QQ^a. N. T. n. 75, Christum scilicet orasse et pro ceteris Apostolis eosque in Petro comprehensos fuisse quia multitudo in eo qui praestet continentur, nescio quo pacto a Dre Langen producatur, illi enim non favet, sed nocet. Cf. dicta n. VI.

Diximus in enunciatione thesis verbis Christi contineri *promissionem* infallibilis magisterii; non affirmavimus tunc ipsi collatum esse cum haec verba Christus edidit. Nimurum verba Christi per se non exigunt ut intelligatur tunc statim collatum esse Petro ius *confirmatoris*: cum autem Primatus dignitas collata reapse ipsi fuerit, ut videbimus, post resurrectionem, et praerogativa confirmatoris pertineat ad Primatum, ideo verba Christi penes Lucam exhibit praerogativam Petri qua postea honestandus erit, non qua heic et nunc honestetur; et idcirco aequivalent promissioni.

THESIS III.

Fidem datam Matthei XVI et Luc. XXII Christus post resurrectionem suam liberavit Ioannis XXI, 15. seqq., unique Petro primatum iurisdictionis contulit in universam Ecclesiam.

I. Explicatis primum verbis Christi, duo probanda sunt: 1) ea ad unum Petrum spectare: 2) iis Primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam conferri Petro. Quoad primum, verba haec sunt: *Cum ergo prandisset, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis (ἀγάπας) me plus his? Dicit ei: etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos (Βοσκε τα ἀρνια μου). Dicit ei iterum: Simon Ioannis diligis (ἀγάπας) me! ait illi; etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos (ποιμανε τα*